



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. vnic. Principium causandi, causalitas & effectus materiæ primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

§. III.

*Verum causa possint esse sibi mutuo cause in
diverso genere cause.*

Conclusio
negans.

Dico tertio, nullam causam, quæ præsupponitur necessarîo existens ante suum effectum, posse causare suam causam, etiam in diverso genere: quando autem non necessarîo præsupponitur existens ante suum effectum, posse causare suam causam in diverso genere causæ. Sic igitur materia, forma, & efficiens, quia præsupponuntur existere priusquam existat effectus, non possunt causare id à quo causantur in vno ex illis generibus; v.g. nihil esse potest causa efficiens suæ causæ materialis vel formalis. Causa autem finalis, quia non exigit existere ante suos effectus, sed potest causare in sola existens intentione, potest causare suam causam efficientem, v.g. sanitas causa est finalis medicinæ, quæ medicina causa est efficiens sanitatis. Ita docent Suarez *disp. 1. §. Metaph. sect. 8. num. 20. & 27. & sect. 27. num. 2.* Molina in *concordia, quest. 14. art. 13.* Albertinus, Hurtadus, Auerſa, Arriaga, Thomistæ autem omnes repugnant, quibus adhaerent Valsques 1. 2. *disp. 212. num. 8.* Valentia 1. 2. *disp. 8. q. 3. p. 4. & quest. 5. p. 4.*

Ratio.

Ratio autem est, quia si causæ se mutuo causent in diverso genere, etiam illæ quæ ante suos effectus exigunt existere, sequuntur prorsus eadem incommoda quæ sequuntur si causæ se mutuo causent in eodem genere. Primò enim sequitur, quod idem præsupponit seipsum, & suam causalitatem, quia omnis effectus præsupponit suam causam existentem à suis causis: ergo præsupponit causam suæ causæ: sed ipsa est causa suæ causæ; & causalitas, quæ fit, talis causa, est ipsius causalitas: ergo illa causa præsupponitur ante seipsam, & ante suam causalitatem. Deinde sequitur quod aliquid causat antequam sit, imò & quod est antequam sit: si enim forma sit causa formalis suæ causæ efficientis, in illo priori naturæ nondum est causa illa efficiens formæ: ergo nec est forma per eam producta; & tamen causat, & supponitur esse: ergo causat antequam sit; imò & supponitur esse antequam sit: & contra si causa efficiens suam producat causam formalem, in priori quo nondum est forma, agit; & tamen non habet suum esse, id est suam formam: ergo causat antequam sit.

Quod autem causæ quæ non exigunt existere ante suos effectus, mutuo se causent, id est possint causare id à quo causantur, manifestum est, quia finis causa est mediorum, & media causant finem; v.g. exercitatio causa est efficiens sanitatis, & sanitas causa finalis exercitationis. De sola ergo causa finali debet intelligi Philosophus, quoties dixit, causas esse sibi causas.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Quando aperitur fenestra per ingressum venti, tunc ingressus aëris causa est effectiva apertionis fenestræ, & apertio fenestræ causa est dispositiva ingressus aëris; non enim aperitur fenestra nisi per ingressum aëris, & aër non potest ingredi nisi aperta fenestra. Idem etiam dico de aëre, quem impellimus ambulantes; recessus enim aëris causa est necessarîo præcedens meam præsentiam in hoc loco; & mea præsentia causat recessum aëris.

Respondeo apertionem fenestræ non causari per ingressum venti, sed per impulsu quem ventus imprimit fenestræ, quam tunc aperit, non ingreditur, sed imprimendo impetum; si enim non

A ingreditur, & imprimeret impetum, semper tamen aperiretur fenestra. Idem dico de aëre, quem ambulantes impellimus; illud enim quod impellit aërem, non est præsentia corporis in eodem spatio; sed est impetus impressus ab eo qui ambulat.

Obiicitur secundò, generationem novæ formæ esse priorem corruptione formæ veteris ex parte agentis, quia causat recessum formæ introductio alterius formæ; corruptio verò formæ veteris ex parte materiæ prior est quàm generatio, non enim recipi potest forma nova in materia, nisi prius forma vetus abscesserit.

B Respondeo ex dicendis tractatu 3. generationem esse simpliciter priorem corruptione, quia reuera est eius causa; corruptionem autem esse conditionem requisitam in materia in posteriori naturæ; non enim requiritur ut materia spoliata fuerit prius naturâ, quàm recipiat novam formam; sed satis est, quod per ingressum novæ formæ forma illa prior abscedat dependenter ab ingressu formæ prioris. Sed de hoc postea.

Obiicitur tertio, materiam esse causam formæ, formam verò esse causam materiæ: sed hoc posterius supra negatum est. Addunt aduersarij, creationem esse causam sui termini, à quo tamen creatio ipsa causatur materialiter. Sed ostenditur tractatu 2. quod creatio non est in termino ut subiecto sustentante. Dicunt præterea, actum charitatis esse causam effectivam gratiæ sanctificantis, à qua tamen procedit tanquam à causa dispositiva. Ita enim censet Valsques, actum contritionis disponere ad gratiam sanctificantem, & ab ea procedere. Sed hæc omnia falsa esse docet verior Theologia, ut dictum est in materia de poenitentia, ubi ostensum est, gratiam sanctificantem causari per actum charitatis & contritionis; sed illos actus per gratiam non causari. Et hæcenus de causis in genere dictum sit.

QVÆSTIO II.

De causis internis corporum.

SECTIO VNICA.

*Principium causandi, causalitas, & effectus
materiæ ac formæ.*

Super sunt hæc tria tantum, quæ de materia & forma disputanda esse videantur, post ea quæ de illis disputata sunt nuper. Considero autem nunc illas præcisè ut sunt causæ internæ, id est, quatenus causant compositum communicando illi suam entitatem.

Dico primò, proximum principium causandi materiæ & formæ esse ipsammet, illarum entitatem, quæ ad causandum tres necessarîo, exigit conditiones, existentiam, indistantiam, congruas dispositiones.

Primæ partis ratio est, quia illud dicitur proximum principium causandi materiæ & formæ, per quod illæ proximè causant suos effectus: sed materia & forma proximè causant suos effectus per suam entitatem; nam id quod causat recipiendo, non causat nisi per suam entitatem; sola enim entitas recipit, materia verò causat recipiendo. Similiter illud quod causat informando & actuando, causat sine dubio per suam entitatem; forma verò causat

Quæst. II. Sect. vnic. de Causis internis. 141

causat informando : ergo materia & forma causant immediatè per suam entitatem , quæ illis est principium causandi.

Secundæ partis ratio est , quia illæ causæ , quæ causant communicando suam entitatem , debent necessariò existere , alioqui non communicarent suam entitatem : debent etiam esse indistantes , cum causent per unionem : certas etiam exigunt conditiones , quia sine illis agens non potest formam producere in materia , sed neque forma sine illis conservari potest , unde tota illa necessitas dispositionum oritur tum ex parte agentis , tum ex parte formæ ; nam materia ex se indifferens est ad quilibet recipiendum . Neque dubium est , quin tertia hæc conditio suppleri à Deo possit , & efficere ut quamlibet materiam forma quolibet informet.

Causalitas. Dico secundò , causalitatem materiæ & formæ in compositum quod causant , esse unionem utriusque ; causalitatem materiæ in ipsam formam materialem , esse actionem educivam.

Primæ partis ratio est , quia illud est causalitas alicuius causæ , quo primum posito , & aliis omnibus sublati , intelligitur causa esse actu causans ; & quo primum sublato etiam si alia ponantur , non intelligitur causans : sed primum posita unionem , materia & forma intelliguntur actu causantes ; & ea sublata , non possunt intelligi causantes ; non enim intelligi possunt unitæ , quin intelligantur constituere compositum : illud ergo , per quod illæ dant esse composito per modum principij , est earum entitas ; illud autem per quod dant esse composito per modum viæ , sola est unio.

Secundæ partis ratio est , quia illud est causalitas materiæ in formam , per quod forma pendet à materia ; per educationem autem forma pendet à materia , pendet enim per ipsam receptionem formæ in materia , quæ educitio est : ergo educitio est causalitas materiæ in formam.

Effectus. Dico tertio , rectè numerari tres effectus materiæ , compositum , formam , & unionem ; duos autem effectus formæ , compositum & unionem , seu informationem ; materiam enim causat solum finaliter.

Ratio est , quia materia & forma sunt causæ illius , cuius sunt partes ; sunt autem partes compositi . Deinde materia sustentat formam & unionem : ergo illas causat . Forma est causa informationis , quæ non est aliud quàm ipsa unio ; non est causa formalis ipsius materiæ , ut prima disputatione ostensum est , sed ad summum causa est finalis , quia materia est propter formam , ut illam recipiat & sustentet.

Prima obiectio. Obiicitur primò . Si materia esset causa compositi , esset causa sui ipsius ; vel enim est causa totius compositi , & sic causa est sui ipsius ; vel est causa tantum partis compositi , & sic est solum causa formæ . Et hoc argumentum multò magis valet pro forma : si enim non est causa materiæ , neque sui ipsius , certè non est causa compositi , sed solius unionis.

Resp. materiam causare compositum ut totum est , non quidem adequatè , sed inadæquatè ; non sustentando compositum , sed se illi communicando ; nam causare hoc modo totum inadæquatè , non est causare aliquam eius partem , sed est esse aliquam eius partem : materia igitur causat totum inadæquatè , quia pars est totius ; neque causat propterea seipsam , quia non causat adequatè . Idem dicendum est de forma.

Secunda obiectio. Obiicitur secundò . Quolibet causa relationem habet ad effectum ; si ergo materia causa est totius

A compositi , habet relationem ad compositum , atque adeò ad seipsam.

Resp. negando , quod causæ internæ relationem habeant ad effectum , in quo continentur essentialiter.

Obiicitur tertio . Si materia est causa formæ , vel est causa interna , vel externa ; non interna , quia non est eius pars ; non externa , quia non est causa efficiens , vel finalis.

Tertia obiectio.

Resp. materiam esse causam internam formæ , si per causam internam intelligatur illa quæ causat aliquid in se ipsa sibi unitum ; si verò per causam internam intelligatur illa , quæ est pars , materia causa est extrinseca formæ , neque tamen est efficiens , vel finis , quia communis doctrina de causis intrinsecis & extrinsecis est tantum respectu compositi.

QVÆSTIO III.

De causa efficiente.

C Nobilissima causarum omnium est , imò ferè sola propriè nomen causæ sibi vindicat causa efficiens , de qua ut distinctè dicam , tria primum de illa ponenda sunt : primò quidditas eius , & complementa : secundò principium causandi : tertio causalitas , seu actio . Conditiones verò necessarias ad causandum reiciunt Authores communiter cum Philosopho ad libros de generatione . Tribus autem illis expositis , declarandus potissimum erit concursus Dei , sine quo nulla potest esse causalitas alterius vilius causæ.

SECTIO I.

Existencia , & quidditas cause efficientis.

R Effert tres sententias S. Thomas lib. 3. contra Gentes , quas meritò damnat fatuitatis . Prima est , quod nihil omnino causæ secundæ agant , sed effectus omnes ad earum præsentiam prodeant à Deo ; sed eatenus tamen illæ agere dicantur , quod ad agendum Deus non determinetur nisi ad earum præsentiam . Secunda est , quod nihil agant corpora , sed singulis tamen corporibus inest virtus aliqua spiritualis substantiæ spiritualis , à qua oriuntur effectus omnes . Hanc tenuisse dicitur Avicembris lib. de Fonte vitæ . Tertia est , quod à rebus corporeis sola producantur accidentia , & dispositiones ad formam substantialem , quam sola deinde substantia spiritalis produceret ; sic enim censuit Avicenna lib. 1. sufficientiæ , c. 10. à Platone (opinor) errore derivato , qui solas ideas volebat activas esse . Contra quos errores ,

Tres sententiae improbabiles.

Dicendum primò est , causas secundas , etiam corporeas , verè aliquid agere , ac producere , tum intra , tum extra se ; neque dici vlllo modo posse , quod sola causa prima omnia producat , vel quod à solis substantiis spiritalibus omnes prodeant effectus.

Conclusio.

Primò enim sic enuncitur ex Scriptura pluribus locis , Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem , & facientem semen in genere suo* . Sapient. 18. dicitur , ignem in fornace Babylonica oblitum fuisse suæ naturæ , cum tres pueros non combureret . Accedit Concilij Tridentini anathema indictum sess. 6. *canone 4. adversus eos qui vellent voluntatem humanam merè passivè se habere in suis actionibus ; hinc enim*

Prima probatio.